



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Leone IX. Creati. cuius opera recenset Trithemius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735



NOMENCLATOR

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE

CARDINALIVM QVI AB ANNO

Christi millesimo quippiam
commentati sunt.

CARDINALES

A LEONE IX. CREATI.

cuius opera recenset Trithemius.



UMBERTVS SILVÆCANDIDÆ E-
piscopus Cardinalis, Gallus, monachus
Tullensis, ordinis S. Benedicti, à Leone
Papa nono, anno 1054. Constantinopo-
lim delegatus, coram Imperatore, & Pa-
triarcha tanta facundiâ aduersus Græcorum errores dis-
seruit, vt Nicætas Pectoratus monachus, librum sua
manu flammis deuouerit, quem Attico liuore & super-
cilio contra Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesia-
rum ab omni æuo matrem, & idcirco magistram, quod
indubiè Romanorum Pontificum constans series ad
originem recensita in Diuum Petrum Apostolorum.

A

principem, stet auctorem, proteruè conscripserat. Huius autem velitationis acta quæ ad manus sunt

Dialogorum more, sub nomine Romani & Constantinopolitani, luculenter descripsit.

Leonis Acridani Bulgarorum Archiepiscopi scripta confutavit, vt Sigebertus auctor est.

Diui Augustini regulas, doctissimis commentariis illustravit, Dilingæ non ita pridem editis.

Historiarum etiam libros edidit, quorum meminit Vvasseburgius in Episcoporum Viridunensium historia.

Responsionemque ad Nicetæ præfati libellum contra Latinos, quam habes apud Henrici Canisij lectiones antiquas.

Obiit quantum coniiicio circa suprema Alexandri secundi.

HUGO BLANCVS aliàs Candidus, Tridentinus Cardinalis, Jurisconsultus & Philosophus antecellens, scripsit, vt refert Paulus Cortesius.

Apologiam quâ se perduellionatus suspicione excusatum iri cupit, quod Clementi 3. Antipapæ adhæsisset.

FRIDERICVS GOZZELONIS Lotharingæ Ducis filius, Cardinalis, qui postea Stephanus nonus, Pontifex maximus seu Episcoporum Episcopus, vt loquitur Tertulianus, scripsit

De veritate Corporis Domini contra Patriarcham Constantinopolitanum.

Decadem re contra quendam monachum.

Epistolam ad Guillelmum Rhemensem Archiepiscopum, quam habes apud Baronium & alia nonnulla.

Obiit Florentiæ anno 1058.

DESIDERIVS Principis Beneventani filius, Cardinalis, qui postea Victor 3. commendatioris famæ Pontifex, scripsit, vt notat Arnoldus Vuion

De miraculis quæ à S. Benedicto, & aliis monachis in monasterio Cassinensi facta sunt lib. 4.

Cantus quosdam de S. Mauro.

Dialogorum libros 4. manuscript. in Biblioth. vaticana.

Epistolasque ad Regem Francorum Philippum primum, S. Hugonem Abbatem Clunianensem, & alios.

Obiit non sine sanctitatis opinione anno 1087. & in monasterio Cassinensi cum hoc Epitaphio sepultus est.

Qui fuerim, vel quid, qualis, quantusque, doceri;

Si quis forte velit, aurea scripta docent.

Stirps mihi magnatum, Beneuentus Patria, nomen

Est Desiderius, tuque Casine decus.

Intactam sponsam, matrem, patriamque, propinquos

Spernens huc propero, monachus efficior.

Abbas dehinc factus, studui pro tempore, totum,

(Vt nunc aspicitur) hunc renouare locum.

Interea fueram Romana clarus in vrbe.

Presbyter Ecclesie, Petre beate, tuæ.

Hoc senis lustris, minus anno, functus honore,

Victor apostolicum scando dehinc solium.

Quatuor & semis, vix mensibus inde peractis;

Bis sex lustra gerens mortuus hinc tumulor.

Solis virgineo stabat lux vltima signo,

Cum me sol verus hinc tulit ipse Deus.

A ij